



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

III. Der Markgraf Hermann verleiht das Patronatsrecht über die Kirche zu Nauen dem Domcapitel in Brandenburg, am 10. Jan. 1305.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54581)

viarum discrimina aspera tum propter rerum suarum dispendia ob impetitionem ecclesie in Scrapelow, quam dominus Burchardus bone memorie, olim de Scrapelow dictus, inpetiit et postmodum sui heredes fortiter inpetebant, nos quoque variis et diversis super ipso negotio et crebris a partibus utrisque quateremur pulsationibus et querelis, maturo tandem prefati domini canonici usi consilio ad gratiam nostram ac infantiam, nostri, dyocesani sui et totius capituli sui consensu et assensu pleno accedente et voluntate, resignaverunt prefatam ecclesiam in Scrapelo cum omnibus suis attinentiis, quocunque censeantur nomine, abrenunciantes plene omni jure et proprietati ejusdem et collationi ipsius, ita quod nichil juris, nichil prorsus proprietatis in ipsa ecclesia, nihil collationis sibi ac suo predicto cenobio de cetero poterunt vindicare. Nos itaque Otto et Conradus marchiones cum consensu pleno heredum nostrorum damus et donamus prefato cenobio et dominis canonicis in recompensam et in restaurum ecclesie in Scrapelo, quam resignaverunt, ecclesiam nostram in Berge, sitam apud Nawen, cum omnibus ipsius ecclesie attinentiis, quodcunque forciantur nomen, cum omni juris integritate et cum ipsius proprietate plena, ita quod similiter nichil juris, nichil omnino proprietatis seu collationis nobis de cetero aut heredibus nostris vindicare poterimus in eadem, indulgentes predictis dominis canonicis, quod, si quem viceplebanum in predicto loco Berge posuerint, si idem viceplebanus jura carnis exsolverit quod idem domini tollent omnia sua bona si heredes evidentes non habuerint neque in his bonis relictis debent a nobis seu a nostris advocatis aut a bodellis nostris ullatenus impediri, addentes preterea quod sepe dictis dominis canonicis et ipsorum cenobio damus et donavimus omnes proventus ecclesie in Byteckow sitos juxta Pritzlaviam et ipsam ecclesiam ad tempora vite plebani in Berge nunc videlicet domini Arnoldi de Lutere, canonici sancti Nicolai in Magdeburg quiete et pacifice possidendam. Mortuo vero prefato domino Arnoldo jam dicta ecclesia Bytekow ad nos libere remeabit, nisi volumus ipsam dimittere prefato cenobio de nostra gracia speciali. In predictorum omnium evidentiam et ne in posterum ullam a nobis seu a nostris successoribus calumpniam patiantur, presentem cedula[m] conscribi jussimus et sigillo venerabilis domini Henrici, episcopi Merseburg., qui presentibus, cum fierent, aderat, et sigillorum nostrorum appensionibus decernimus communiri. Testes hujus rei sunt reverendus in Christo pater, predictus Merseburgensis episcopus, Otto de Pouck, Otto de Ylburch, Otto de Depense, Conradus de Redere, Fredericus de Oltrowe, Borchardus magister de Irkesleve, Albertus de Clepzk, ministeriales nostri et alii plurimi fide digni. Acta sunt hec Merseburg. in curia domini episcopi et data anno domini M^o. CC^o. LXXX^o. secundo VIII kal. Septembris, que fuit dies sancti Bartolomei apostoli, per manum domini Alwardi prepositi Reppinensis, curie nostre notarii et capellani.

Nach dem Originale im Brandenburger Stifts-Archive.

III. Der Markgraf Hermann verleiht das Patronatsrecht über die Kirche zu Nauen dem Decapitel in Brandenburg, am 10. Jan. 1305.

In nomine domini Amen. Ne ea, que aguntur in tempore, simul cum volubilitate temporis evanescant, consuevit ea modernorum subtilitas scripturarum testimonio atque viva voce testium perhennare. Hinc est, quod nos Otto, Johannes et Wolmarus, dei gratia Brandenburg. et de

Landesberg marchiones, recognoscimus nec non ad universonum Christi fidelium, etatis tam presentis quam postere cupimus notitiam devenire, quod ob nostrarum nostrorumque predecessorum salutem animarum proprietatem juris patronatus in Nawen civitate, Brandenb. diocesis contulimus ac dedimus venerabilibus domino Johanni preposito, priori totique capitulo cathedralis ecclesie Brandenburg. cum universis fructibus, proventibus ac utilitatibus quibuslibet ad ecclesiam prefatam spectantibus perpetuis temporibus nunc deinceps quiete et pacifice possidendam. Hujus autem nostre donationis tam libere quam voluntarie testes sunt venerabilis pater dominus Fridericus Brandenb. episcopus, dominus Albertus de Barby, dominus Otto de Ilburch, dominus Thidericus de Torgow, dominus Conradus de Redere, milites, Hinricus de Stegeliz, Nicolaus de Buc, nostre curie dapiferi et quam plures alii fide digni. Preterea ut hec nostra donatio etc. Acta sunt Lewenberch et data sub annis dominice incarnationis M. CCC. V. epacta XXIII. indictione III. concurrente IV. quarto idus Januarii.

Nach einem Copialbuche des Domstifts Brandenburg.

IV. Der Bischof Friedrich genehmigt die Schenkung des Patronatsrechtes über die Kirchen in Nawen und in der Neustadt Brandenburg an das Domcapitel in Brandenburg (1305).

In nomine sancte et individue Trinitatis Amen. Fredericus dei gratia Brandeburgensis ecclesie episcopus, omnibus in perpetuum. Ea que geruntur, si ad laudem dei referuntur, a radice bone voluntatis creduntur processisse ac digne remunerationis premio non frustrari, at vero, si qua talia congruis sunt laudibus extollenda. Hinc est quod domino inspirante illustres principes Otto et Wolde-
marus et Hermannus, marchiones Brandeburgenses pro salute animarum suarum ac suorum progenitorum libertates ac alia quedam beneficia capitulo seu canonicis ecclesie Brandeburgensis liberalitate munifica gratiose impenderunt, inter que jus patronatus, quod habebant de ecclesia Nawen et nove civitatis Brandeburch donatione libera in easdem ecclesias seu capitulum Brandeburg. totaliter transfuderunt nichil penitus sibi vel suis posteris in electione futuri plebani vel presentatione ipsius juris reservantes, sed sicut a se ipsis sic et a suis successoribus seu posteris de ecclesia Nawen et nove civitatis Brandeburg jus eligendi et presentandi penitus excluderunt, ita ut predicta ecclesia Nawen mater cum filia et universa, que justo titulo ibi solvi sunt consueta, que et ipsi perpetua proprietate dare potuerunt, ecclesie seu capitulo Brandeburgensi cedere debeant pleno jure. Idem principes sano usi consilio animadverterunt, quod quando religiosi suppetunt temporalia, fiducialius appetunt sempiterna. Notatam itaque donationem predictorum nobilium rite factam sollicita consideratione pensantes commendamus et eam tamquam legitimam approbamus pro eo, quod dicti nobiles per illam donationem ad ecclesiam Brandeb. pio affectu se inclinare intenderunt, ut tam in vita quam in morte participes fiant omnium bonorum, que ibidem die ac noctu nunc et imperpetuum per ministros illius ecclesie facere dignabitur clementia salvatoris. Ex debito autem officii, ad quod affrici sumus, jus, gratiam ac consuetudinem aliarum ecclesiarum collegiatarum intuemur diligenter attendentes, quod jus patronatus de ecclesia Nawen ecclesie seu capitulo Brandeburgensi parum prodesset, nisi ei in aliquo deferviret, ideoque ut voluntas principum predictorum intentum finem et optatum forciatur